



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Controversiae Ecclesiastico-Historicae

Casteel, Gerard

Coloniae Agrippinae, 1734

VD18 10739254

Controversia XXXVI. De Translatione Imperii Romani.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68244)

CONTROVERSIA XXXVI.

D E

Translatione Imperii Romani.

Imperium Occidentale, quod vario rerum statu, sub variis Imperatoribus, diu multumque floruerat. Tandem in Augustulo, misero fato, concidit saeculo V. jam adulto: felicioribus vero auspiciis post annos trecentos emergere visum; quando Herulorum, Vandalarum, Gothorum, denique Graecorum & Longobardorum sibi vicissim succedentium iuga Romani excusserant: demum caput efferte coepit, in ipsis diversis intestinae discordiae casibus. Imperator Constantinus XI. Porphyrogenitus Irene matris, seu consilio, seu iussu, oculis excisis, carcerique mancipatus, miserima sorte diem extremum obierat; quando in orbem concitata ludibundae sortis ancipite rota, virago haec in sublime evecta, cum multorum applausu Imperium reassumpsit, quod ante annos octo filio praedominante, dimittere debuerat. At & ipsa, quadriennio vix evoluta, machinatione Nicephori Patricii & Logothetae Generalis, per summam ingratitude & execrabilem perfidiam in ordinem redacta, solio deturbata, & in Lesbum Insulam relegata fuit. Ea tempestate Carolus Francorum Rex, rerum gestarum amplitudine Magnus,

plurium gentium Domitor inclytus, Sedis Apostolicae Defensor, anno aerae Christianae octingentesimo Romam venit quarta jam vice, ibique Romanorum Imperator cunctis applaudentibus salaturus. sicque Romana Dignitas Imperialis, in Oriente delitescens, a Graecis ablata, reviviscens translata fuit; non quidem ad Gallos, ut Bodinus in *method. histor.* cap. 7. Per. Georg. Tolosanus *Lib. 7. de Repub. cap. 15. Sc.* praetendunt; sed ad Germanos. Fuit enim Carolus prosapia, nativitate, lingua & moribus Germanus: & licet Germani de natali solo inter se discrepent; in eo tamen plerique conveniunt, quod in Franconia primo lucem aspexerit. Et quia Bodinum nomen *Franci* fefellit, nescivitque latam esse differentiam inter *Franconiam* & *Franciam*, quae Gallia dicitur, in errorem lapsus est, ut Carolum in Gallia natum putaret.

An autem haec ipsa Dignitas Imperialis a Leone Papa III. qui tunc in Sede Romana Ecclesiae gubernacula tenebat, sit Carolo Magno collata; hujus Controversiae est materia. Ex instituto eam tractandam susceperunt Bellarminus *Lib. de transl. Imp.* Baro-nius in *Annal. ad annum 800.* Na alis
Ggg Alexan-

Alexander *Hist. Eccles. seculi IX. & X. Difert. 1.* qui cum aliis plurimis Chronographis, Canonistis & Historicis collationem Imperialis Dignitatis auctoritate Romani Pontificis factam asserunt. Negant Marcellus Patavinus, Centuriatores Magdeb. & imprimis Flaccius Illyricus, Joan. Aventinus, Theologi Veneti in Resp. pro causa Venet. aliique communiter, qui Sedi Romanæ sunt infensi. Idipsum quoque inficiantur Franc. Duarenus, Claud. Fanchetus, Joan. de Launoy, Petrus de Marca, Stephanus Baluzius, Ludov. Maimbourg Scriptorum Galli: quibus volupe est

Pugnam infrugiferam & inutile ducere bellum;

Hiscæ quidem machinis.

I. Carolus Magnus jure ac vi belli occupaverat Occidentale Imperium antequam Leo Pontifex illum Romæ coronasset. Annis siquidem viginti illas Provincias ante coronationem pacificè possedit ac tenuit, quæ ad Occidentale Imperium spectabant: dum vastissimum regnum Lombardorum, quod aliquando inter Romanas computabatur Provincias, cum aliis Regionibus armis adeptus fuit. Romani verò una mente, unaque voce eum Imperatorem agnoverunt. Huic sententiæ favet Guntherus, à Baronio Ligurinus vocatus, vel ipse Fridericus I. quem loquentem sic introducit. Roma.

Francorum vires invictaque signa rogasti;

Adfuit immensi domitor fortissimus Orbis

Carolus, & magna miseram virtute redemit

Ereptum manu mediis ex hostibus in se Transtulit Imperium.

Neque dici potest, quod hæc Regionos

ambitiosè, sola fas invaserit. Nam ex Sacris sufficienter liquet Litteris, quod Deus Regnum omnium Dominus absolutissimus, plus simplice vice, gladio, bellicæ jure in alios ea transtulerit; quemadmodum legere est de Nembroth &c. &c. Item de translationibus Regni Babylonici ad Persas, Persarum ad Macedonios, Macedoniorum ad Romanos. Pariformiter Deus quoque Romanum transtulit Imperium ad Francos, quando, devicto Rege Desiderio, Carolus Longobardiam aliasque Provincias occupavit; indeque, ut Alciatus perhibet, Dignitatem obtinuit Imperialem. Quare glorioso Victori Carolo Romani jurarunt, & mox homagium præstiterunt, sicut Monachus Igorismensis in *Chron.* observat. Desuper animi sui sententiam explicavit Lupoldus de Babenberg, quem Trithemius vocat Jctum celeberrimum litteris nobiliter doctum, ingenio subtilem; dum *Libro de jure Reg. & Imp. c. 4.* scribit. *Carolus Magnus habuit ante translationem omnia regna & Provincias quas habent hodie Reges seu Imperatores Romanorum. Item habuit in omnibus istis regnis, provinciis & terris potestatem Imperialem. Et sic regna & provincia ac terra hujusmodi cum plena potestate in ipsis per Ecclesiam Romanam in eum transferri minime potuerunt. Quod enim meum est ex una causa, non potest ex alia fieri meum, nisi desinat esse meum.*

Flaccius etiam alius illud jus Germanorum deducens, ab initio scilicet Imperii Romani, quando sex Germanorum cohortes subsidiariæ Pompeii Legiones straverunt, indeque & Romanum Imperium stabiliverunt. Aut quando Germani sub Oct. Augusto duas aquilas, cæsis Romanis iustissimo bello abstulerunt. Quibus jure belli virtuteque partis Insignibus, etiamnum Germanorum Imperium, in protestationem defensionemque juris sui contra omnes adversarios constanter uti asseverat.

II. Occi-

II. Occidentale Imperium jure hæreditario ad Carolum Magnum spectabat : adeoque supervacaneum fuisset, ut illud ei alter contulisset. perhibent enim antiquissimi Historici, quod Odoacer Herulus, qui Augustulum de Throno deiecit, Occidentale Imperium obtinuerit, Theodoricus Gothus, & Clodoveus Francus Romani Imperatores fuerint. Et quoniam hi ex Germania oriundi erant; eorum Imperium ad Carolum Magnum Francorum Regem, legitimumque successorem devolutum fuerit.

III. Ad Imperialem Dignitatem Carolo jus obvenit ex contractu hujus cum Græcis inito. Fuisse enim tales super hac re collationes testatur Eginhardus, legitur in vetusto Chronico Moislaciensi, in Geographia Theophanis, apud Siffridum presbyt. Godofrid. Viterbiensem &c. Init enim Carolus cum Irene compositionem ita quidem, ut Carolus Occidentis; Græci verò Imperatores Orientis Imperium tenerent; hancque transactionem Michaël, Nicephori successoratam habuit. V. Plat. Egnatium *Lib. 3. Rom. Princip.*

IV. Leo Pontifex præter Pentapolim, Exarchatum & Ravennatem, regiones aut provincias ad Imperiū Occidentale spectantes non possidebat; neque ullum jus aut Dominium ipsi competeat in Imperium illud. Qua de re legi meretur Guntherus Friderici I. Poëta scribens

*Num Petrus & Clemens & cætera turba
piorum
Sceptra latina dabant? Romanus tem-
pore prisco
Pauper erat Præsul, regali munere
crevit:
Nec tamen ut fasces & regni jura Latino
Vel dare presumat vel cuiusque tollere
possit.
Sed neque tanta fuit largitio: nec dare
quisquam*

*Quo caret, ipse potest, hujus collatio regni
Authorem sortita Deum contingere nulli
Nunc potest hominum; collator munera
hujus*

est Deus &c. &c.

Potius itaque dicendum Carolo obvenisse à Deo Dignitatem Imperatoriam, in cujus manu sunt omnes potestates & omnia jura regnorum. Sanè Pontifices Romani, Leo *Epist. ad Marcian. Theodosium*, Leonem *Imp. Gelasius Epist. ad Anastas.* Gregorius Magnus *Epist. ad Mauri.* Nicolaus *Epist. ad Michaël.* fatentur authorem Imperii Deum esse, & Innocentius III. *Cap. Movit. de Jurisd.* scribit. *Cum jurisdictionem propriam non sufficiamus explere; cur alienam usurpare vellemus.* Ubi Pontifex usurpationem jurisdictionis alienæ appellat, si temporalem jurisdictionem in regno Francorum tentaret assumere. Hanc proinde assumpsisset Leo III. si in Romanum Imperium jus quoddam usurpare voluisset.

Imperium Romanum à Græcis translatum ad Germanos, seu Francos Summi Pontificis autoritate supra citati, aliique Authores optimæ notæ volunt evincere.

I. Carolus Magnus hanc Imperii transitionem à Leone in se factam luculenter agnovit, quando senio gravatus testamentum, in quo filiis suis regna divisit, Leoni Papæ misit, ad ejusdem confirmationem obtinendam, quemadmodum Animonius *Lib. 4. de reb. gest. Francor. cap. 94.* perhibet; quatenus cum illius consensu alteri traderet Imperium, à quo illud antea accepisset. Unde Baronius colligit, non existimasse Imperatorem Imperium esse hæreditarium: sed potius Rom. Pontificis arbitrio electivum. Eodem modo Lotharius, Caroli nepos; ut Auhor est Ado *in Chron.* cum Ludovicum filium Italia Regem effecisset; pro Imperiali Dignitate obtinenda Pontificem interpellavit per Drogonem patrum suum. Sic Ludovicus junior pariter à Sergio Papa creatus fuit

Ggg 2

Impe-

Imperator. Hujus successor, Carolus Calvus, cum de Imperio cum fratre contenderet, Romam profectus à Joanne VIII. Imperiali Diademate adornatur. De Ottonē I. refert Lamb. Schafnaburgensis. *Otto rex perrexit Romam; eumque Joannes Papa gratanter suscipiens, honorifice supra Cathedralam Augustalem posuit: & benedictione atque consecratione sua Imperatorem fecit.* De eodem Marian. Scotus. *in Chron. Otto Romam rediens Imperator efficitur à Joanne Papa.* Alii demum omnes posterioribus sæculis Imperatores electi, in eo maximè fuerunt, ut à Pontifice Romano per solemnem consecrationem obtinerent confirmationem. *Olim Imperatores (inquit Kranz: Lib. 1. Metrop.) non passi sunt vivere Pontifices; nunc non habetur Imperator, nisi quem Romanus Pontifex confirmaverit, consecraverit. Domini est terra, transfert regna, dignissimèque ad suum Vicarium in terris hoc sacrum mysterium delegavit.* In hodiernum usque diem, quando publicæ pro Imperatore funduntur in Ecclesia preces; si non sit coronatus, juxta rubricam Missalis nomini Imperatoris præfigitur *Electus.* Deinde forma juramenti, quo se Carolus Magnus obligavit Ecclesiæ Romanæ, inserta Ordini Romano, qui à successoribus servari debuit, quemadmodum aliæ ceremoniæ huc præscriptæ, ab eisdem observari debuerunt conformiter Decreto Clementis V. in Concilio Generali Viennensi, quod extat in Clementin. *Rom. Principes de Jurejurando.* Ubi etiam habetur, quod ab Ottonē Magno juramentum Pontifici Joanni XII. præstitum, de juramento homagii & fidelitatis sit intelligendum, quasi Imperium Romanum sit Feudum Pontificis. Quanquam alii censeant, non juramentum subjectionis sive recognitionis: sed protectionis Carolum M. & Ottonem Magn. præstitisse, nimirum Ecclesiæ defendendæ: & ipsum Ottonem Joanni adversus Berengarium, qui Pontifi-

cem opprimebat, suam pollicitum operam, non quasi vasallum; sed Dominum notat celebratissimus Jurisconsultus Cujacius *Lib. 2. feud. cap. 10.* Vide *Cap. cum tibi Domine & cap. 33. distinct. 63.*

II. Pontifices Romani hanc transferendi Imperii potestatem sibi competere & verbis, nemine contradicente, palam in suis Bullis, aut rescriptis professi sunt, & in actum frequenter redegerunt. Habetur siquidem ex Paulo Æmilia, spectatæ fidei Historico *Lib. 3. de gest. Franc.* Mariano Scoto *Chron. Lib. 3.* illud, quod Ludovico Imperatori abrogaverant filii Imperium, à Gregorio IV. P. M. fuisse ipsi restitutum, rescisso Decreto, quod in quodam Concilio, non quidem Lugdunensi, ut perperam multi tradunt; sed apud Compendium Diocesis Sueslionensis, Anno ætæ vulgaris 833. factum. Ita quoque Adrianus II. Carolum Calvum, Imperii invalorem minacibus Litteris deterruit, effectoque ut Ludovico juniore, quod hæreditario jure à Lothario obtinuerat, relinqueret; licet testatum reliquit Aimonius *Lib. 5. cap. 24.* Anno 1157. dum Bisuntii ageretur hæc quæstio Adrianus IV. scripsit Epistolam, illamque misit per duos Cardinales Rolandum & Bernardum Legatos in qua legitur. *Scire debes, ut, quo jure Papa à Græcis Imperium ad Germanos transtulerit; eodem jure se quoque idem Germanis rursus ereptum Græcis restituere posse.* Alexander. III. constanter recusavit Orientale Imperium rursus cum Occidentali conjungere; licet Emanuel Comnenus, Orientis Imperator, magnâ pecuniæ summâ oblatâ, hoc ipsum iteratò per Legatos suos efflagirasset, & denuo exercitum instructum ad ipsius Pontificis beneplacitum, nec non Ecclesiæ Græcæ unionem sub Romano Pontifice appromississet. Innocentius III. *Cap. Venerabilem. extra, de Elect. in Epist. ad Ducem Thuring.* disertis verbis scribit, quod Apostolica Sedes Romanum Imperium in personam Magnifici Caroli à Græcis

Græcis transfulerit. Demum Philippus Galliarum Rex, cum Sede Imperiali vacante ex Decreto Consilii, à se habiti per Legatos à Clemente V. in Gallia tunc commorante, translationem Imperii à Germanis in Gallos urgeret vellet, rescisso Decreto sine intermissione Pontifex ad Electores in Germania scripsit, ut accelerarent ad electionem novi Imperatoris.

III. Quod Leo Pontifex Imperialem dignitatem Carolo contulerit, antiquissimæ picturæ evincunt, ipsæque imagines mutæ loquuntur. Harum unam Jo. Baptista Casalius *Lib. de vet. sac. Chris. ritibus cap. 2.* delineatam exhibet, quæ in Palatii Lateranensis parietinis visitur, sicque discurre. *Fuere nonna pridem, qui à Græcis ad Francos Imperium Romani Pontificis autoritate translatum fuisse negarunt. Ad magnum istud impudensque mendacium profugandum, quid interest librorum veterum ac iconum autoritate fideque pugnemus? Itaque si Cardinali Bellarmino, quod Libro de transl. Imperii edito Ecclesia Romana adversarios, multorum historicorum testimonio fregerit, plurimum nos debere fateamur: aquum profecto est, ut etiam restantia antiqua imagine producta in Palatii Romani parietinis, & à nobis hic effigiata, qua hoc idem præstitit, plurimum debeamus.*

Exhibet vero icon illa sanctum Petrum in throno sedentem, ac adgeniculanibus hinc inde Leoni Pontifici pallium, Carolo Magno vexillum tradentem, cum hac subiecta epigraphæ. *BEATE PETRE DONA VITULO LEONI ET VICTORIAM CAROLO REGI DONA.* Qui hanc imaginem aspexerit subiectamque inscriptionem legerit, quis (prosequitur Author citatus) nisi in historia valde sit hospes, & Leonis tertii restitutionem, & Caroli Imperatoris inaugurationem & Ecclesia Romana autoritatem graphicè descriptam non continuo fateatur? Quæ imago, si nulla veterum de autoritate Papæ in transferendo Imperio extarent monu-

menta; una hæc sit ad hereticorum pervicaciam contundendam historiaque veritatem constabiliendam instar omnium testium. Non desunt interim testes locupletissimi, omni exceptione majores, hujus per Pontificem factæ translationis: quales sunt Historici Latini pariter & Græci, licet Romanæ Sedi infensi. Hos inter sunt Zonaras in *vit. Constant. & fren. Roma*, inquit, *prorsus Franci potiti sunt Carolo à Leone coronato & Romanorum Imperatore appellato.* Constantinus Mannasses in *Synops. Hist.* refert, *Inde vicem referens Leo Carolo veteris Roma Imperatorem renuntiat, & ex Legibus Romanis diadema circumdat.* Apud alios hujusmodi evidentiæ testimonia reperiuntur. Nullam autem Senatûs Populique Romani aut exercitûs mentionem faciunt, quorum interventu, seu potestate Carolus Imperator fuisset renuntiat. Videri etiam potest Cedrenus in *vit. Const. & frenes.* Nullam autem fidem alibi quærere oportet majorem, quam apud eos, qui ævo Catoli & hujus Coronationis tempore floruerunt, & solemnia hæc oculis suis conspexerunt. Talis Paulus est Diaconus, Imperatori familiaris, qui *Lib. 25. Rerum Rom.* ita scribit. *Leo vicem Carolo recompensans in Imperatorem illum coronavit in templo S. Petri Apostoli, perungens oleo à capite usque ad pedes; & circumdans Imperatoria veste atque Corona.*

Eginhardus, Caroli Magni Cancellarius in illius vita memorat. *Augusti nomen primo in tantum averfatus est, ut affirmaret, se eo die, quamvis præcipua solemnitas esset (erat enim Natalis Domini) Ecclesiam non intraturum fuisse, si Pontificis consilium præscire potuisset.* Quod indicat rem totam à Pontifice confectam. In Annalibus Francorum legitur ipso die populum acclamasse. *CAROLO AUGUSTO, A DEO CORONATO, MAGNO ET PACIFICO IMPERATORI ROMANORUM, VITA ET VICTORIA.* Consonant Aimonius *Lib. 4. de gest.*

de gest. Franc. cap. 90. Ado Vien. in Chron. Witikindus Corbientis Lib. 3. regn. Sax. Hermannus Contractus in Chron. Sequuntur Godof. Viterbiens. in Pant. Conradus Ursperg. &c. passim omnès : quorum auctoritate & consensu omnium gentium exploratum est Leonem III. Pontificem Maximum, aut solum, aut præcipuum & primarium auctorem fuisse hujus translationis. Et certè nisi institutio Imperii deferatur auctoritati Pontificiæ ; non videtur ratio esse, cur electus Germaniæ Rex sit magis Imperator, quam quispiam alius Rex, sive Italiæ, sive Galliæ, sive Hispaniæ.

Quæ ex adverso obstare videntur, minus officere putant Recentiores, eaque ad nihilum reducere volunt.

Ad Primum Respondetur. Quod Carolus Magnus nunquam cum Romanis bellum gesserit ; sed eorum Patricius fuerit, quæ est prima, post Imperialem, Dignitas. Romam pervenit ; non ut occuparet Urbem : sed pietatis & componendæ discordiæ gratiâ, à cunctis incolis magnificè susceptus. Quodsi hinc dicendus foret Imperator, quia Longobardicam Provinciam armis fuit adeptus, quæ aliquando ad Romanum spectabat Imperium : eodem jure Reges Gallorum, Anglorum, Hispaniarum &c. dicendi sunt Imperatores, quia Provincias possident, quondam ad Romanum pertinentes Imperium.

Deinde Carolus ante illud tempus, quo à Leone fuit coronatus, nec se ipsum Imperatorem nominavit, neque alii Historici dixerunt. Alciati, utpote recentioris, auctoritas hac in parte nulla est, repugnantibus plerisque Authoribus antiquioribus. Lupoldus de Babenberg adhæsit Ludovico Bavaro ; novitque, ut Apulejus *met. 10.* habet, sententias suas nundinari. Quodsi Romani ante Coronationem juraverint, de quo authenticè non constat ; non aliter Carolo juramentum dixerunt, quam Patricio & defensori suo. Flaccii deductio flaccida est & flatu potius,

quam responsione digna. Unâ omnium sententiâ primordiâ Germanici Imperii Carolo tribuuntur. Hinc Annalium Conditor, ad *Annun. Christi 800.* censet immensam esse mendaciorum sylvam, officinam, leventi maceriam, tenebrarum offusam caliginem, quæ adversus translationem Romani Imperii, per Leonem factam, ab æmulis referuntur.

Ad Secundum Respondetur. Odoacer nunquam fuit Imperator : sed Rex Italiæ, quam occupavit, postquam Augustulus spontè purpuram deposuit, atque Imperiali Majestati renuntiavit ; quo Imperium Romanum cessavit. Præter quamplurimos hoc ipsum perhibent Conradus Urspergensis, Naucerus, Cranzius &c. qui Imperium Romanum ab Augustulo illo usque ad Carolum Magnum, annis plus quam trecentis, vacasse memorant. Imo si Odoacer Imperator fuisset, & ex Germania oriundus ; non magis Imperium sibi vendicare potuissent Germani, quam Itali, Angli, Hispani &c. aliæque Nationes, è quibus varii fuerunt Imperatores assumpti. Neque Theodoricus unquam se Imperatorem dixit, multò minus fuit, ut ipsi Centuriatores *Cent. 6. cap. 16.* agnoscunt ; sed à Zenone adoptatus in filium, in Consullem ordinatum, & Regem Italiæ. Et si fuisset Imperator, non major est ratio successio- nis in hæreditatem, quam supra de aliis nationibus fuit dictum.

Ad Tertium Respondetur. Nullam probabilitatis speciem obtinere, quod Carolus de Dignitate Imperiali cum Græcis pactionem inierit ante Coronationem, quandoquidem Eginhardus l. c. testetur, quod ipse tantopere nomen Augusti averfatus fuerit ; ut si Leonis mentem perspectam habuisset, Ecclesiam non intrasset. Quod idem Witikind *in vit. Caroli* tradit ; subditque. *Invidiam tamē suscepti nominis Constantinopolitani Imperatoribus, super hoc indignantibus, magnâ tulit patientiâ vicique eorum contuma-*

etiam magnanimitate qua eis proculdubio longe præstantior erat mittendo ad eas crebras legationes, & in epistolis eos fratres appellando, Unde perspicuum manet, nullam pactio- nem, antequam coronatus esset, Carolum cum Græcis iniisse, nequidem postea ruptam, ut quorundam est opinio; bene tamen fœdus contraxit postea, de quo Coccius Sabellicus *Ennead. 9. Lib. 9.* hæc perhibet. *Tenebat Orientis Imperium Irene, cum Carolus Roma est Imperator salutatus: qua litteris & nuntiis de us certior facta, qua Roma alta erant: ne non in tanta rerum mutatione aliquid suis rebus cavisse videretur; ad Carolum misit, qui illius amicitiam & fœdus peterent: & paucis interjectis de Irene depositione scribit. Nicephorus, recepto Imperio, cum Caroli legatis, qui adhuc Bizantiæ erant, fœdus percussit.*

Ad Quartum Respondetur. Licet Græci in Oriente ac Occidente iisdem sint potiti ditionibus, postquam Carolus coronatus fuit, nihilominus Imperialis Dignitas translata fuit per Pontificem hoc modo ad Carolum. Cum enim Christi Vicarius prospiceret, quanto in discrimine Sedes Romana per iniquas versaretur Græcorum machinationes, ipsæque res Christianæ periclitarentur: quod in plurimorum votis erat, ipse perfecit. Quando, excusso Græcorum jugo, Romanis talem præfecit, quo nemo in Orbe magis idoneus repertus, Carolum scilicet, cujus præter inclytam justitiæ religionisque famam, & cuilibet Superiorum Imperatorum, qua bello, qua pace, parem industriam, ingentia tunc extabant tum in universam Christianam Rempublicam, tum vero præcipue in Romanam Sedem promerita: Neque, ut sit à multis, hæc intelligenda sunt, quasi Leo tantum insignia & titulum Carolo donasset, & officium imposuisset Ecclesiæ tuendæ, præsertim Romanæ, in quo maxime Imperatoris Dignitas, ejusque splendor positus sit, & quod iura ac privilegia cætera innixa, ut autumat

Nat. Alexander. *loc. cit.* in Æque Romano- rum Centorum spongiam sensit. Quia hæc translatio in theatriali ceremonia, aut sola denominatione extrinseca, ut Philosophi loquuntur, non consistebat. Verum insuper Imperiale jus Supremum Carolo fuit collatum in Imperium Romanum, cujus possessio ab illo, aut quærenda; aut retinenda foret. Et quanquam regno Francorum nihil inde fuisset adjectum, per hoc quod Rex Carolus fuerit Imperator designatus, ut idem contendit Historicus; stirpi tamen Carolina, donec deficeret, sic adhæsit; ut nullus aliorum Principum aut sperare, aut supremam hanc Dignitatem prætere posse. Joannes Parisiensis scripsit tempore dissidii in Gallia inter Pontificem & Galliæ Regem; qui, ut in materia Sacramentali cautè legendus; ita de potestate regia & Papali quædam divulgavit, quæ à sensu communi fidelium sunt aliena.

Quod verò Pontifices memorati sint facti, hoc Imperium, ut cætera regna, esse à solo Deo, per hoc quidem indicare voluerunt, Deum esse Authorem primum ac præcipuum regnorum, uti & Imperii: ita tamen ut illa quandoque conferat per se immediatè, quemadmodum in Scriptura Sacra legimus; aliquando per alios; quomodo Imperium Romanum à Græcis ad Francos, opera Christi Vicarii, translatum fuit. Quod autem, accepta à Principe autoritate, Vicarius facit, ipse Princeps fecisse censetur. Fatentur hoc ipsum Centuriatores, dum *Cent. 8. cap. 10.* scribunt. *Atque ita Imperium Romanum ad Carolum & Francos (Leo III.) transtulit.* Eorum Alsecla Theodorus Bibliander in *Chron. tab. 11.* affirmat. *Papa, quia de Romanis videri voluit gratiam referre, Carolo, de Ecclesia Romana optimè merito, appellans more Romano Patricium & Augustum & Cæsarem Romanum, occulto judicio Dei ad eam nationem, authore Papa; & applaudente acclamanteque Populo Romano, Carolo Augusto &c. Imperium translatum est.* Quare

Quare non erit Pontifex arguendus, quod falcem in alienatis messem immittat, si gladium alterum exerat ad Ecclesiæ commodum, & animarum salutem; dum Ecclesiæ necessitas hoc ipsum exigit. Tunc enim casualiter tantum jurisdictionem illam temporalem exercet, ut ait idem Innocentius III. *Cap. Per Venerabilem. Qui filii sint legitimi.* Cum ergo ad hujuscemodi translationem Imperii & continua Græcorum malignantium Schismata ansam præbuisent, & ipse Ecclesia Catholica status urgeret quam maxime, Leo potestatis Limites minimè excessit. Qui, ut Baronius ait *loc. cit. Ex insita ipsi Romano Pontifici concessa divinitus auctoritate & potestate, que in ipso primario residet, Carolo titulum Occidentalis Imperii, qui absque possessore jacuerat, rursus contulit: cum pœnes Pontificem Romanum sit, si causa postulet, Apostolica plenissima auctoritate infestum Ecclesiæ Regem sive Imperatorem deponere: inque locum ipsius justum & pium sufficere, juxta illud Jerem. 1. Constitui te Regem ut &c. Joa. 21. Pasce oves &c. Act. 10. Occide & manduca.*

At horum locorum, veteribus ignotum interpretamentum, applicatio, & extensio vix Alpes excedit, neque omnes promiscue admittunt seu agnoscunt talem in Pontifice potestatem, quem verum Christi in terris Vicarium credunt, Decreta & Censuras in contrarium, jam ab Anno 1413, diversis vicibus & temporibus edidit Sorbona, eaque renovavit Facultas Theologica Anno 1663. per Archi-Episcopum Parisiensem Prefixum, & recensissimè Univerſus Clerus Gallicanus in Congregatione Anno 1682. cui interfuerunt 40. Episcopi, Præſide Harlæo Archi-Episcopo Parisiensi, Primus omnium Pontificum Romanorum, si Ottoni Frisingensi, Historico inclyto, habenda fides, qui Imperatorem deposuit, fuit Gregorius VII. *Res, ante ea sæcula inaudita.* Ait Onuphrius Panvinius Veronensis Ord. Erem. S. Augustini. Neque hæc doctrina de potestate

hac Pontificis apud omnes locum invenit in Hispania, Lusitania, Sicilia, Sardinia, Germania &c. ubi contradictionem passæ Lectiones II. Nocturni de S. Gregorio VII. recitandæ jussu Benedicti XIII. P.M. Illam ipsam, dum bini operosè sustinere voluerunt Vaticanani Telamones Purpurati; sensit uterque suis apud exterarum nationes obvenisse libris, quod neuter factum fuisse vellet. Hæc materia, cum sit delicata, simulque exotica, aliis tractanda relinquatur.

Ceterum non eam translatio Imperii per Leonem facta obtinet ex rationibus politæ certitudinem; ut aliter sentientes non habeant, quo easdem elevent; qui, cum suis partibus deesse nolint, asserunt; perperam Carolum Magnum adduci in testem hujus rei, quasi tabulas testamentarias Romanam mississet eum in finem, ut à Leone confirmarentur, nihil volens statuere de hærede, seu successore Imperii, nisi ex nutu seu dispositione Pontificis. Missæ siquidem fuerunt hæc tabulæ, Anno 811. scriptæ, in quibus de thesauris regis dividendis agebatur, ab Optimatibus Francorum consignata, ut à Leone pariter subscriberentur, quas Eginhardus, earundem Lator, Pontifici reverenter exhibuit. Nulla fuit in iis litteris Imperii mentio, ne forte major quibusdam præberetur invidiæ ansa, dum Imperator, se administrante, illud alteri designasset. Tabulæ, quas Baronius in probationem adducit, sublestæ sunt fidei, vel ipso Pithoeo judice, qui illas primò evulgavit, Ludovicum Pium, Lotharium Imperatores designasse suos filios Imperii hæredes & Augustos pronuntiasse, requisito prius Pontificis consensu, nemo veterum Historicorum memoriæ prodidit; in quibus solùm legere est, quod Imperatores aut invitati, aut temporum rationibus ducti fuerint à Pontificibus Imperiali Diademate insigniti, ut observat Elias Du Pin. Ludovicum Juniores à Sergio Papa fuisse creatum Imperatorem nulla sufficiente auctoritate probari poterit. Fuiſſe hic qui-

hic quidem à memorato Pontifice Anno 844. Rex Lombardiæ coronatus, verum à Leone IV. Imperialibus insigniis decoratus. Refert contra Sigebertus Gemblac. ad annum dictum, Sergium obtinuisse Pontificatum, neglecto Lothario Imperatore, sed missuro cum exercitu filium suum Ludovicum ad confirmationem electionis. In hunc Authorem Baronius quidem invehitur tanquam impudentem schismaticum: ast Annales S. Bertini, magno alioquin apud ipsum loco, illud etiam produnt. Interim ex Sigoberto, aliisque habetur, quod Ludovicus Sergii pedes fuerit exosculatus, quando præclusas Basilicæ Vaticanæ portas Pontifex iussit aperire, resciscens Ludovicum, pacis & communis salutis causa illuc appulisse. Ad restitutionem Ludovici Pii anno 834. in Conventu sancti Dionysii ullas Gregorii P. M. partes intervenisse non legitur apud Lugdunensem Episcopum Agobardum, Imperatori Ludovico reconciliatum, Aimonium, Theganum Authorem vit. Ludov. vel in actis Conciliorum: bene tamen apud eundem Aimonium legitur, Pontificem fuisse suspectum de clancularia collusione, quod in castris rebellantium futuram apud Rauracos aliquamdiu hæserit, priusquam ad Ludovicum veniret, de quo Imperator moesto dedit ore querelas.

Carolus Calvus Imperium non invasit: sed cum Burgundiæ regnum occupasset, Adrianus Papa ad eum scripsit, ut regno illi cederet, decederetque Ludovico: ad Episcopos autem in regno Caroli litteras dedit, ut sese ab ejus communione separarent; insuper Proceres instruxit, ne Carolum susciperent: quo facto nullum jus in Imperium exercuit. Bellarminus quidem, ut suam de Pontificis potestate stabiliret sententiam, scribit quod Papa Zacharias Anno 752. à Childerico in Pipinum Caroli Magni patrem transtulerit regnum Franciæ: verum hoc plerique Historici Galli negant; voluntque id Procerum Authoritate factum, qui non ad confirmatio-

nem à Papa obtinendam scripserunt: sed ad consultandum, an male vel bene factum fuisset. Habet enim vetustissimum Chronicon, *Missi sunt ad Zachariam Papam ut consulerent. & Annales Franc. Metenses. Missi sunt ad Zachariam interrogando... si bene fuisset an non &c.* Eodem modo contigisse dicunt, quando in locum Caroli successus fuit Hugo Capetus. Manuel Comnenus Imperator Orientis, cum Latinorum potentiam metueret, favorem Pontificis, quocum Imperator minus bene conveniebat, sibi conciliare molitus est in Concilio Lateranensi III. uti & Constantinopolitano, ultro citroque missis Legatis: sed absque fructu utrimque expectato. Quod de Adriano IV. profertur, etiam apud Guntherum legitur, qui Friderici Imperatoris responsionem quoque subjungit.

*Debita Pontifici, faveat reverentia,
regnum
Legibus antiquis & prisco more re-
gatur,
cujus ab æterno tantum collatio rege*

In eadem epistola Adriani continebantur hæc formalia, quæ Radewicus, Ottonis Frislin. Continuator, exhibet. *Insigne corona beneficium tibi contulimus-- debes gloriosissime fili ante oculos mentis reducere quantam Sacra Romana Ecclesia tibi dignitatis plenitudinem & honoris, & qualiter Imperialis Corona insignia libentissime contulerit &c.* Inde Imperator & Principes præsentis suspicati sunt, quasi Papa Imperium clientelare Romanæ Sedis reputaret beneficium. Addit Otto de S. Blasio Monachus in Chron. Legatorum unum interrogasse. Si Fridericus à Domino Apostolico non habet Imperium; à quo ergo habet? quo omnium tanta processit indignatio, ut Otto de Wittelsbach Comes Palatinus, zelo Germanicæ libertatis fumans, aciem fermè gladii in Legati cervicem

H h h impe-

impegisset, nisi autoritate presentia Caesaris interposita iram compescuisset. Et licet quaestio esset periculosa atque improvida, Baronius tamen aliam hanc subnectit. *Quid iustus; quidve opportunus potuit ac debuit suggeri per Legatum quam illud: A quo ergo habet?* Porro cum Papa intellexisset ex sinistra interpretatione Fridericum fuisse commotum, & alios quoque Principes irritatos, ad eum dedit Litteras, modestiae plenas, quas pariter citatus producit Radevicus. In iis Pontifex declarat, quod per *Beneficium* non intelligat *Feudum* sed *bonum factum* & per *contulimus* nil aliud intellexerit quam *posuimus*. Quod si Adriani Successor, Alexander III. in Fridericum exacerbatus persuasum habuisset pœnes se esse transferre Imperium, ab ipso utique in Commenum sibi adblandientem transtulisset. Innocentii III. aliorumque Pontificum autoritas, quantumcunque sacrosancta sit apud Catholicos, non tamen apud omnes hac in parte etiam censetur infallibilis, cum sit in quaestione facti particularis, de potestate politica, seu temporali, concernentis ipsum Pontificem. Constat interim quod varii Pontifices variis temporibus jus, dominium aut proprietatem in quaedam Regna, Provincias aut Territoria prætendant, quibus tamen alii Principes sese opponunt, salva religione & Sedis Apostolicæ reverentia. Neque tanti facienda quorundam Scriptorum autoritas, qui ex more sæculi senserunt, quodque accessorium erat, rati esse principale, observârunt ceremonias, & jus supposuerunt. Accedit quod tum Bellarminus, tum Baronius, alique in multis historicis, qui ea tempestate scripserunt, observent privatum affectum, imperitiam insignem, iudicium tenue, dotes ad scribendum historias parum idoneas, errores historicos, fabulas, quandoque & defectum accurati criterii; qui nimium creduli imposturas manifestissimas, vulgique rumores chartis mandârunt, & posteris uberem e-

mendationis materiam reliquerunt. Detrum non omnes Authores citati clarè expresserunt Pontificis autoritate Imperium fuisse translatum. Occurrunt quandoque in Authoribus in quibus legentes sibi videntur opinionem suam clarè expressam videre: sed ut plurimum frustra; ac fortè non aliter, quam si quis in campanarum sono animi sui cogitata & studia se observare poret.

Interim ex authenticis antiquorum monumentis, summorum Pontificum epistolis, tabulis genuinis, actis & testimoniis irrefragabilibus satis liquet, plures Principes à summis Pontificibus ad Imperii Fasces protractos, Coronam, aliasque Dignitatis hujus insignia accepisse, ipsosque Pontifices hoc jus usurpassè, ut quos vellent Imperatores recognoscere, illos Diademate ornarent; quos autem refragos, perduelles, contumaces, aut Ecclesiæ noxios apprehendissent, nonmitterent, vel è throno deiecerent: quo factum est, ut passim crederetur ad Pontifices Romanos spectare Imperii collationem; neque Imperatores appellandos, nisi à Papa coronatos: seu, ut Glaber Rudolphus scribit, neminem valere dici Imperatorem, nisi quem Papa delegerit, idque Coccinus Sabellicus ad ipsa Caroli tempora refert *l. cit. Lib. 8.* scribens. *Ac tum demum magna rerum mutatio facta est. Creditum jam inde Imperii arbitrium Apostolica Sedis esse: cum antea è Cælo dari crederetur.* Quo spectat illud Gregorii, quod passim ferunt dixisse ad Rudolphum Sueviæ Ducem, cum Henricus IV. exauctoratus fuisset.

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.

Uti & illud Paschalis II. ex relatione Godofridi Viterbiensis laudata Baronio ad annum Christi 1011. num. 25.

Pars quoque Papalis sic obviat Imperiali Sic regnare damus (Henrico V.) quod Petro subjiciamus

Jus etiâ nobis Christus utrumque parit.
In con-

In contestationem hujus juris Innocentius II. P. M. si vera habet Radevicus *Lib. 2. c. 10.* Lotharium II. Imperatorem ad pedes Pontificis prostratum & coronam Imperii expectentem in tabula depingi curavit cum hac inscriptione.

Rex venit ante fores jurans prius Urbis honores

Post homo fit Papa, sumit quo dante coronam.

Hanc tamen tabulam Fridericus I. Romæ videns sustulit; dixitque. *Apertura cepit, ad scripturam processit, scriptura in auctoritatem prodire conatur.* Quo quis facile intelliget, quantum sit Casalii Picturæ tribuendum, quæ equidem oculato non exhibet, quod ipse sibi persuasum habet.

Eorum Pontificum Successores Adrianum IV. Alexandrum III. sui juris admodum tenaces fuisse perhibent eorum Acta. Sed his nequaquam remissior Cælestinus III. si fidem mereantur, quæ ex Roverio Hovedeno refert Baronius ad Annum Christi 1193. quando coronam; Henrico VI. ad pedes Pontificis prostrato impositam, mox pede protrusit ac in terram dejecit: quo significare volebat, se habere potestatem illum deiciendi ab Imperio, si illud demeruerit.

Mitius sentiunt illi Authores, qui coronationem Papalem Dignitatis Imperialis plenitudinem ac veluti complementum esse volunt. Minimè autem quod exinde sit Imperator Vasallus Ecclesiæ, ut quidam Assentatores Romani prætendunt, & Galli ex invidia Germanis imponunt, quasi hæc eorum esset opinio. Præcæteris hic legendus suo tempore celebratissimus Nicolaus Cusanus de *Concord. Cathol. Lib. 3. cap. 4.* *Unctio autem & coronatio Imperatorum nec arguunt in Papa majoritatem supra ipsam electionem vel confirmandam vel infirmandam, vel supra etiam Imperium quoad temporalia, sicut nec unctio; quæ fit Regi Franciæ Remis, aut coronatio ipsiusmet Imperatoris per Archi-*

Episcopum Coloniensem Aquisgrani. Nonne etiam quod in coronatione, quæ per Papam Imperatori impenditur, mutatur, ut prius Rex & postea Imperator vocetur? Nihil minus. Potentia Imperandi prius in ipso fuisse arguitur ut notissimum est. Fuit enim in veritate Imperator: etiamsi vulgo non ita nominetur. Sed ut ad ipsam coronationem anhelet Rex, servatur huic solemnitati hoc nomen.

Pro comperto proinde habetur, Carolum Magnum armis ac virtute sua Imperialem Dignitatem meruisse, atque ab omnibus latè populis Gentibusque Occidentis, qui absque vero Gubernatore à Barbaris cruciabantur, exoptatum; sicque à Christi Vicario in thronum Imperialem evectum. Id quod multò congruentius dici poterit, quàm Theodori Niem, de schismate suspecti Historici, opinamentum defendi, quod de *Privilegiis & Jur. Imperii* sic exprimit. *Populus Romanus concessit Carolo, & in eum transtulit Imperium, jus suum & potestatem.* Minus de vero fortitur, quod Ludovicus Maimbourg, confidentior in affirmando, quàm foelicior in probando, ex vana gloria Gallicana contendit, Carolum, qua Regem Galliarum ante, Romæ Dominum fuisse: & ad Francorum Procerum, aliorumque subditorum supplicationes Dignitatem Imperialem assumpsisse. Vid. *Lib. 4. Histor. Iconoclast. Edit. 1. p. 360.* Quod autem in *Tract. histor. de fundat. Sc. Eccles. Rom.* qui tam carè sibi constitit, cap. 19. non fuerit veritus scribere, meram esse illusionem hanc Imperii Romani per Leonem factam translationem; scalpellum vulnificum, æque ac quædam alia exotica, inibi observata, Romæ subuisse, sentire debuit. Nec mitiori ibidem excepta fuit ferula Petri de Marca *Historia Concordiæ Sacerdotii & Imperii*, quando Bullas pro Episcopatibus, ad quos designatus erat, non potuit obtinere; nisi retractasset ea, quæ de restricta Pon-

rificis potestate in bona temporalia Principum scripserat. Et dum denuò per Stephanum Balluzium, cui Author moriens editionem commendaverat, fuerat evulgata, illam Romani Inquisitores Anno 1664. proscripserunt: quanquam in Gallia etiamnum vigeat.

Quid quid sit de hac potestate seu mediata, seu immediata, hæctenus controversa; item translatione, secundum propriam suam significationem accepta; cuius fundamentum statuere, altioris est indaginis: patet successu temporis illud jus ita attenuatum: ut, si usus spectetur modernus, ad nihilum ferme videatur redactum. Præterquam enim, quod Anno 1338. Coloniae in Comitibus Imperialibus fuerit decretum, Imperatorem, mediante electione, potestatem à Deo habere; & coronationem, à Pontifice fieri solitam esse caeremoniam duntaxat, ad exercendam supremam jurisdictionem minimè necessariam (Leg. Glor. in Cap. Legimus, Distinct. 63. in Cap. Quanto ibidem) hæc etiam est Ecclesie doctrina teste Bellarmino, qui tom. 2. Lib. 1. cap. 3. hæc ita declarat. *Ecclesia non dicit Augustum precario regnare: quin contra potius affirmat Regnum illud habere ex electione Principum suorum, à se autem nomen Imperatoris. Ex electione (inquit Papa) suorum Principum habet nomen Regis, ex confirmatione nostra habet nomen Imperatoris.* Quanquam ne hoc quidem in usu esse videamus; quandoquidem ille, qui Imperatore vivente electus est Successor, vocetur Rex Romanorum: atque illo defuncto etiam ante coronationem Imperator appelletur, sicut olim qui Romæ à Pontificibus solemniter inaugurati fuerant. In tertium jam sæculum Serenissimi Archiduces Austriae sine interruptione per legitimas electiones Imperii Fasces retinuerunt: nulli tamen, excepto Carolo V. (exemplo Rudolphi I. qui Dominus Austriae colu-

men dignoscitur) Diadematis quaerendi gratiâ Romanum Pontificem interpellavit: se ipsos tamen Imperatores dixerunt, postquam Electorum suffragia tulissent, quomodo etiam in publicis precibus Ecclesie nominantur; illud tamen observatum fuit ab omnibus, ut in Diplommatibus, Rescriptis &c. &c. apposuerint. ELECTUS ROMANORUM IMPERATOR, quod alias post coronationem à Pontifice peractam, omittitur. Magnarum olim atque perniciosarum hæc jurium vendicatio seu evictio fomes exitus concertationum; populosque partibus studentes in diuturna traxit detinuitque dissidia. Vivimus nunc, Laus Superis, pacatiora tempora: quando excelsa Sacerdotii & Imperii columnina in hoc uno studio conspirant, & satagunt, ut deinceps semper summum Sacerdotium & Romanum simul confederatum maneat Imperium: sicque hi duo mundi vertices in perpetua charitatis unione sese observant & respiciunt; ut inferiora membra per eorum concordiam dulcissimæ pacis experiantur fructus. Et quemadmodum ab uno Mediatore Dei & hominum, hæc duo, Imperium scilicet & Sacerdotium, divino sunt conflata mysterio, ita sublimes isti Orbis Christiani Rectores tanta sibi unitate junguntur, ut quodam mutua dilectionis glutine & Cæsar in Romano Pontifice, & Pontifex in Romano inventatur Cæsare: sitque Imperium & Sacerdotium unum ovile, quod Papa pedo regit Apostolicæ mansuetudinis, & Cæsar gladio tuetur Christianæ fortitudinis. Neque Imperator Romanus in assumptione Summi Pontificis quidpiam juris sibi vendicat: neque Pontifex Romanus in constituendo Imperatore ullum jus usurpat. Et quæ olim, seu verè, seu falsò, ritè, vel invalide hæc de re constituta referuntur Can. 9. 22. & 26. Dist. 36. de creando

creando per Imperatorem Pontifice Romano; æque ac ea, quæ Can. Cùm Tibi Domino, & Can. 33. Dist. 63. & Clem. unic. de juramento ab Imperatore Pontifici præstando &c. &c. leguntur, nullo hodiernum loco censentur, Tulliano conformiter axiomati. *de instit. Princip.*
Leges inutiles, si sine magno malo non queant abrogari, paulatim sunt antiquande,

aut certe corrigenda. Nam ut periculosum est temerè novare leges, ad præsentem Reipublicæ statum accommodare; quedam salubriter instituta salubrius abrogantur.

